

- concedi potest à Cardinali Summo Pœnitentiario, nendum à laxiore ad arctiorem, verum etiam æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, & graves respective causas ab eodem probandas, auditò prius Superioris Ordinis à quo, & cum consensu Superioris Ordinis ad quem. Et pro majori transitus firmitate, potest in his omnibus idem major pœnitentiarius statutus, & privilegiis Apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare; Benedic. XIV. tom. 2. constit. 95. *incip.* Pastor bonus §. 34.
- 17 Non potest tamen ipsum transitum concedere Summus Pœnitentiarius à Religione claustrali ad Ordines Hospitalarios, aut Militares, excepto Ordine S. Joannis de Deo, nec ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantia, aliasque similes Congregationes; idem *ibid.* §. 35. Transitus autem ad Ordinem Hospitalarium S. Spiritus in Saxia specialiter, & omnimodo prohibetur; Idem constit. 15. *incip.* Sæpe Romanorum §. 5. confirmans ad id constitutionem Bened. XIII. *inc.* Sacra.
- 19 Concedere etiam potest Major Pœnitentiarius transitum ab uno monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutenda, & approbanda; Commitendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, clausulis opportunis pro casuum varietate; Idem in cit. const. Pastor bonus §. 36.
- 20 Transitus Regularium ab Ordine laxiore ad strictiorem impediri non debet sine causa, Idem tom. 2. constit. 25. *incip.* Ex quo: Si Superiores duorum Ordinum dissentiant, Judicium ad Sedem Apostolicam devolvitur, quæ concedere solet dictum transitum cum derogatione super consensu Superioris Ordinis laxioris; Id. *ib.*
- 22 A regularibus se prætendentibus Apostolica facultate translatis ad statum clericalem secularem, vel ad Ordines, in quibus non viget claustralis observantia, vel ad Ordines Militares, aut Hospitalarios (ad quos non nisi perraro, & gravissimis, rationabilibusque de causis solet transitus concedi) & actu degentibus extra claustra, debent Episcopi exquirere de veritate talis Indulti, & eos compellere, adhibita etiam vi, ad ibi hujusmodi Indultum ostendendum, atque insimul, postquam illud perlegerint, diligenter expendere causas in ipso indulto contentas, & expressas, verene, an falsæ sint. Quod si illud Indultum commonstrare, & tradere detrectaverint, adversus ipsos juris ordine servato statim procedere juxta facultatem sibi attributam à Concilio Tridentino *cap. 3. sess. 6. de reform.* Et si Indulti causas minime veras esse compererint, non debent dubitare super ejus subreptione, seu obreptione pronuntiare, & adversus Religiosum procedere extra claustra sine facultate degentem; Idem tom. 2. constit. 7. *incip.* Pontificia commendatione.
- 24 Transitus à ritu latino ad græcum est omnino interdictus; Bened. XIV. tom. 1. constit. 57. *incip.* Etsi
- 26 Pastoralis §. 2. Transitus vero à ritu græco ad latinum permittitur pueris de consensu Patris Græci, & licentia Episcopi Latini; Idem *ib.* Adultis autem laicis de licentia Episcopi diocesani; Idem *ib.*
- 27 Transitus à ritu græco ad latinum prohibetur Communitatibus Italo-Græcorum, sive Albanensium absque licentia Sedis Apostolicæ; Idem *ib.* Item Ecclesiasticis quibuscumque absque simili licentia S. Sedis; Idem *ib.*
- 29 Transitus à Ritu Græcorum Melchitarum ad latinum, aut Maroniticum Ritu interdicatur: Idem constit. 87. *incip.* Demandatam:
- 30 Tridentini Concilii decreta enuntiantur, & impleri jubentur circa jurisdictionem Episcoporum in omnes animarum curam gerentes, & in Ecclesiis, quibus adnexa est hujusmodi cura; Benedic. XIV. tom. 2. constit. 1. *incip.* Quamvis, & constit. 33. *incip.* Inter multa: Item super electione dignioris inter approbatos ad animarum curam; Idem constit. 4. *incip.* Reddite Nobis:
- 32 Item super jurisdictione Episcoporum in Regulares extra claustra degentes: Idem constit. 7. *incip.* Pontificia commendatione: Item super Ordinationibus Regularium, & super abolitione privilegiorum recipiendi Ordines à quocumque, vel extra tempora; Item de non recipiendis Regularium recursibus adversus pro-

- fessionis validitatem post elapsam à die professionis quinquennium, vel si reclamantes extra claustra degant, aut habitum dimiserint. Et de forma servanda in hujusmodi judiciis. Idem constit. 47. *incip.* Si datam: Vide supra ad *verb.* Professio Regularis: Item de Confessariis Extraordinariis bis, aut ter in anno exhibendis Religiosarum mulierum communitatibus: Idem constit. 56. *incip.* Pastoralis Cura:
- Item de abstinentia Clericorum à luxu, conviviis, choreis, aleis: Idem constit. 45. *incip.* Inter cetera: Item de coercendis illis, qui mulieres cogunt ad ingrediendam Religionem: Idem constit. 47. *incip.* Si datam: Item super facultatibus Episcoporum circa ea, quæ observari debeant, aut evitari in celebratione missæ; Idem constit. 17. *incip.* Accepimus: Item super residentia Episcoporum, & super eorum absentia causis: Idem constit. 18. *incip.* Ad universæ.
- Item de Ordinandis sine causa Episcopis Titularibus, & de his, quæ hujusmodi Episcopis permittuntur: Idem constit. 36. *incip.* Cum à Nobis: Item de reservatione causarum criminalium judicio Episcopi, seu Ordinarii, exclusis Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus: Idem constit. 40. in *Causarum.**
- Gravissimum se offert questio, an transeunte Abbate alicujus monasterii ad Religionem strictioris observantia procedi statim valeat ad electionem Successoris in Prælatum?
- In eam itum est sententiam, non posse durante Novitiatu, & ante professionem novæ Religionis, idque quia ad electionem Successoris deveniri haud potest, priusquam vacet Abbatia, cap. Nulla, de *concess. præbend.* Hæc autem minime vacat ante emissam ab Abbate professionem in nova Religione. Durante enim Novitiatu non desinit ille esse Abbas monasterii, à quo transit, & ita quidem, ut si à Novitiatu egrederetur, fortasse quod perferre nequiret rigorem novæ Religionis, rediret ad monasterium, & ipsam etiam Abbatiam; Wiestner in *Decret. lib. 3. tit. 31. n. 133. Donat. prax. Regul. tom. 1. part. 2. tract. 5. q. 52. n. 1. & plur. seg. & rursus q. 55. n. 1. & 4. ubi quod durante Novitiatu in suspensio remanent jura omnia à priori Religione dependantia.*
- Non ignoro, esse qui tenent ipso ingressu in Novitiatum strictioris Religionis Abbatiam vacare per tacitam renuntiationem. At opinio hæc aperte contradicit *c. 4. de Regul. in 6. ibi: "Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ipse accessit assensus."* Hinc enim manifestum redditur, solo ingreditu in Novitiatum non induci renuntiationem beneficii, quum alias citra assensum fas esset conferre beneficium illud. Confer Wiestner in *Decretal. lib. 3. tit. 31. n. 135. qui & aliam reddit rationem, quod ex dispositione Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 16. de Regular.* non aliter teneat qualibet renuntiatio emissa à Novitio, nisi facta sit duos menses ante professionem. Sed dubio an dispositio hæc locum sibi vindicare queat quoad Regulares transeuntes ad aliam Religionem. (Vid. *verb.* Regulares, pag. 56.)*

TRANSLATIO.

SUMMARIUM.

- 1 **T**RANSLATO festo ordinariè non transfertur Indulgentia.
- 2 Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, non est transferendum post Octavam, sed infra eamdem celebrandum est prima die non impedita.
- 3 Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra Octavam non privilegiatam, non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens impedita non fuerit.
- 4 Officium semiduplex occurrens in Dominica infra Octavam non privilegiatam olim non erat celebrandum

- dum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud Festum altioris ritus: secus tamen hodie propter posterius Decretum relatum infra, sub num. 19. & 20.
- 5 Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, excepto festo semiduplici in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrente. Adest tamen posterius contrar. Decret.
- 6 In repositione duorum, vel plurium festorum rituum habentium eundem, & die occurrentium diversa, debet attendi prioritas translationis, nisi attendenda sit major Dignitas.
- 7 Si plura sint transferenda festa eadem die occurrentia, quibus non convenit ratio majoris dignitatis, debet attendi in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus.
- 8 Officium particulare alicujus diocesis, vel Religionis, occurrens die 25. Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam; dummodo non sit duplex primæ classis.
- 9 Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus unica die occurrentia, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus diocesis, vel religionis, debet fieri prius de universalis, & deinde de particulari, nisi obstat ratio majoris dignitatis.
- 10 Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangeliste, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, debet prius reponi festum S. Marci, deinde festum Apostolorum.
- 11 Si simul transferenda sint festa S. Josephi, & Annuntiationis B. Mariæ Virginis, debet prius fieri officium Annuntiationis, & deinde de S. Josepho.
- 12 Si Festum Annuntiationis B. M. V. occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel Sabbato Sancto, transferri debet ejus officium una cum præcepto audiendi missam, & vacandi ab operibus servilibus, ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad alium diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis.
- 13 Si festum S. Confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in Hymno Iste Confessor nulla fit mutatio versiculi, sed debet dici Meruit beatas.
- 14 Translato autem festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in hymno Iste Confessor faciendæ est mutatio versiculi dicendo Meruit Supremos.
- 15 Officium nominis B. M. V. occurrens in festo Exaltationis S. Crucis, vel in alio altiori ritus, aut dignitatis, debet transferri, non vero omiti.
- 16 Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel aliquod festum de præcepto, officium cum missa defunctorum transferatur in sequentem diem, etiam festo duplici impeditam.
- 17 Festa duplicia, & semiduplicia translata præferenda sunt officiis semel in hebdomada concessis.
- 18 Officia Sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, licet aliàs transferri possent in annum sequentem, secus nunc.
- 19 Officium semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrens tantum habet juris in feria 2. immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici 1. Classis translato.
- 20 Pluribus festis ejusdem ritus translatis, officium de primo translato recitandum est, etiam ultimo translato post in diem immediate sequentem transferri, semiduplici tamen occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam excepto.
- 21 Alia ad rem, remissive.
- 22 Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat Sacra Congregatio, relinquatur dotem primo, solviturque novum secundo.
- 23 Ac Monialis translata, vel Regularis translatus possit secum deferre ad monasterium ad quod, vel debeat relinquere monasterio à quo bona, quæ habeat, remissive.

- 24 Quoad ea, quæ concernunt translationem Episcopi de una ad aliam Ecclesiam, remissive.
- 25 Quoad ea, quæ concernunt translationem Conventuum, remissive.
- 26 Quoad ea, quæ concernunt translationem Imaginum, & Reliquiarum, remissive.

- T**RANSLATO festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali: Sacra Congreg. Rit. 10. Junii 1690.
- Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam non est transferendum post Octavam, sed infra eamdem celebrandum prima die non impedita: Sac. Cong. Rit. 30. Septemb. 1679.
- Festum semiduplex occurrens in festo duplici infra Octavam non privilegiatam non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens alio festo duplici, vel semiduplici impedita non fuerit, sed faciendum tunc est officium die immediate sequenti: Sac. Rit. Cong. 30. Sept. 1679.
- Officium semiduplex occurrens in dominica infra Octavam non privilegiatam non erat olim celebrandum in feria secunda sequenti, licet non impedita, si adesset reponendum aliud Festum altioris ritus: Sac. Rit. Cong. 1. Martii 1682. Secus tamen hodie propter posterius decretum referendum infra sub num. 19. & 20.
- Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus: non obstante decreto edito die 30. Sept. 1679. Quoad vero festum semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens omnino servanda est Rubrica generalis Brevariæ de translatione festorum num. 5. Sac. Congr. Rit. 22. Decemb. 1696. Vide tamen verb. Resolutiones Sac. Congr. tom. 10. ubi afferuntur contraria recentiora decreta, & servat ut ibi.
- In repositione duorum, vel plurium festorum rituum habentium eundem, & die occurrentium diversa, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas: Sac. Rit. Cong. 13. Junii 1682.
- Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus: Sac. Cong. Rit. 20. Julii 1686.
- Officium particulare alicujus diocesis, vel Religionis, quod occurrat die 25. Februarii, est transferendum in anno Bissextili ad primam diem non impeditam; dummodo non sit duplex primæ classis: Sac. Cong. Rit. 7. Septemb. 1680.
- Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrerint, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus diocesis, vel religionis, prius fiat de universalis, deinde de particulari, nisi obstat ratio majoris dignitatis; Sac. Rit. Cong. 27. Septemb. 1698.
- Si simul sint transferenda festa S. Marci Evangeliste, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum Apostolorum; S. R. C. 18. Septemb. 1666.
- Si simul transferenda sint festa S. Josephi, & Annuntiationis B. V. M. prius reponatur Annuntiationis festum, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub die 12. Junii 1682. Sac. Congr. Rit. 14. Junii 1692.
- Si festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis occurrerit in feria sexta in Parasceve, vel Sabbato Sancto, transferatur ejus officium una cum præcepto audiendi missam, & vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protracto ad aliam diem festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis; Sac. Rit. Congr. 11. Martii 1690. Vide tamen verb. Resolutiones Sacrarum Congregationum tom. 10. ubi dantur ad id quædam notabilia.
- Si festum S. Confessoris transferatur in proxime

- sequentem diem, in hymno *Iste Confessor*, &c. nulla sit mutatio versiculi, sed dicitur *Merui beatus*; Dummodo primæ vesperæ non sint impeditæ; Sac. Rit. Cong. 13. *Januarii* 1683. Translato autem festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste Confessor* faciendâ est mutatio versiculi dicendo *Merui superos*: Sac. Rit. Cong. 14. *Junii* 1692.
- 15 Officium Nominis B. M. V. occurrans in festo Exaltationis S. Crucis, vel in alio altioris ritus, aut Dignitatis, transferatur, non vero omittatur; Sac. Rit. Congr. 20. *Julii* 1686.
- 16 Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi festum de præcepto diei Dominico æquale; officium cum Missa defunctorum transferatur in sequentem diem etiam festo duplici impeditam; Sac. Rit. Cong. 5. *Octobris* 1688.
- 17 Festa duplicia, & semiduplicia translata præferenda sunt officii semel in hebdomada concessis, ita ut festum duplex, seu semiduplex etiam translatum, nec non dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium officiorum; Sac. Rit. Cong. 8. *Februarii* 1699. & 20. *Martii* 1706. Vide verb. Resolutions Sacrarum Congregationum tom. 10. ubi afferitur decretum ad litteram.
- 18 Officia Sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembris aliâs transferri poterant in annum sequentem ex decreto S. R. C. 7. *Decemb.* 1630. nunc id vetitum est decreto ejusdem Sac. Rit. Cong. die 26. *Novemb.* 1735. & 8. *Martii* 1738. Vide dict. verb. Resolutions Sacrarum Congregationum tom. 10. ubi afferitur decretum ad litteram.
- 19 Officium Semiduplex in Dominica infra Octavam non privilegiatam occurrans tantum habet juris in feria secunda immediate sequenti non impedita, ut non cedat duplici primæ classis translato; Sac. Rit. Cong. 16. *Septembris* 1702.
- 20 Pluribus festis ejusdem ritus translatis officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translatum posset in diem immediate sequentem transferri, non obstante quocumque alio decreto in contrarium. Semiduplex tamen occurrans in Dominica infra Octavam non privilegiatam celebrandum est ante quocumque prius translatum etiam 1. classis, feria 2. immediate sequenti, alio festo occurrente non impedita; S. Cong. 16. *Sept.* 1702.
- 21 Alia ad rem. Vide verb. Festum Octavæ, verb. Officium Divinum, verb. Resolutions Sacrarum Congregationum tom. 10. Rubr. *De Translatione Festorum*.
- 22 Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat Sacra Congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo; Sic pluries decrevit Sac. Episcoporum Cong. Vide verb. Monialis art. 2. n. 50. ubi dantur decreta.
- 23 An Monialis translata, vel Regularis translatus possit secum deferre ad Monasterium ad quod, vel debeat relinquere Monasterio à quo bona quæ habet; Vid. d. verb. Monialis art. 2. num. 51. & verb. Affiliatio Religiosorum.
- 24 Quoad ea, quæ concernunt translationem Episcopi de una ad aliam Ecclesiam; Vide verb. Episcopus art. 3. à num. 40. ad 66.
- 25 Quoad ea, quæ concernunt translationem Conventuum; Vide verb. Conventus art. 1. num. 11. & 12.
- 26 Quoad ea, quæ concernunt translationem Imaginum, & Reliquiarum; Vide verb. Imagines, & verb. Veneratio Sanctorum.

TREBELLIANICA.

Vide verb. Falcidia à num. 4.

TREUGA.

SUMMARIUM.

- 1 **T**REUGA quid sit.
- 2 Treuga in Jure civili alio nomine vocatur Inducia, vulgo Armistitium.
- 3 Pax quid sit.
- 4 Treuga est duplex, scilicet conventionalis, & canonica, seu legalis.
- 5 Treuga conventionalis que sit.
- 6 Treuga canonica, seu legalis que sit.
- 7 Treuga canonica quibus diebus sint servanda.
- 8 Que pœnæ sint statute contra eas violantes.
- 9 Que personæ gaudeant treuga, seu securitate perpetua.
- 10 Supradicti duo canones de treuga non sunt usu recepti nec proinde hodie tenent.
- 11 An, & quando, & quibus de causis inita pax, & treuga cum hostibus fieri possit, eisque bellum indici, vel non, remissive.

TREUGA est securitas personis, & rebus ad tempus præstita, bello, vel discordia, seu lite nondum finita; Sic in re communit; Unde treuge in jure civili vocatur alio nomine Inducia (vulgo Armistitium) quia treuga proprie dicta nihil aliud est, quam Inducia belli, cum scilicet inter hostes ad breve tempus convenit, ne se invicem armis lacessant, textu expresso in leg. Postliminium 19. §. 1. ff. de captivis, & postliminio reversis, ibi: "Inducia sunt, cum in breve, & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant." Pax autem ad differentiam treugæ est totalis, & perpetuæ discordiæ, seu litis, aut belli redemptio voluntarie inter litigantes facta: non enim pax queritur, ut bellum excutitur, sed bellum geritur, ut pax acquiritur; cap. Noli 3. caus. 23. quest. 1.

Treuga est duplex, scilicet conventionalis, & canonica, seu legalis. Sic glossa communiter recepta in cap. Treugas 1. verb. Frangere, de treuga, & pax.

Treuga conventionalis est illa, quæ ex libera litigantium voluntate inicitur, & ex conventionem formam, & modum recipit, sicuti quilibet alius contractus; leg. Depositi 1. §. 6. ff. Depositi, cap. Contractus 84. de Regulis Juris in 6. Unde hæc treuga, seu Inducia conventionales inter gentium Jura numerantur; cap. Jus gentium 7. dist. 1. Omnium enim gentium usu, & consensu secundum naturalem æquitatem constitutum est, ut etiam hosti fides data servanda sit, cap. Noli 3. caus. 23. quest. 1. Dummodo is quoque ex sua parte fidem servet; cap. Pervenit 3. de Jurejurando; cap. 2. caus. 28. quest. 2. (Ad ea in præced. nam. relata ubi de contractibus omnibus tractatur, perscrutamin).

Treuga canonica, seu legalis est illa, quæ per canonem, seu legem constituta est, de qua mentio in c. Treugas 1. & c. Innovamus 2. de Treuga, & Pax.

Unde in cit. cap. Treugas assignantur dies, in quibus servanda sunt treugæ præcisè his verbis: "Treugas à quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortu solis, ab ardentibus Domini usque ad Octavam Paschæ ab omnibus inviolabiliter observari præcipimus." (Vide verb. Festa in add. novis.) Et insuper statuunt gravissimæ pœnæ contra violantes, ibi: "Si quis autem treugas frangere præsumpserit, post tertiam admonitionem (si non satisfecerit) suus Episcopus sententiam excommunicationis dicet in eum, & scriptam vicinis Episcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communione recipiat, Im-

»immo scriptam sententiam quisque confirmet." Et in cit. cap. Innovamus 2. de treuga assignantur personæ, quæ gaudent treuga, seu securitate perpetua, ita ut belli Duces & milites eos molestare non possint, ibi: "Innovamus, ut Presbyteri, Monachi, Conversi, Peregrini, Rustici cunctes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia, quibus parant, & semina portant ad agrum, congrua securitate latentur."

10 At vero isti duo canones non usu recepti, nec proinde hodie tenent, ut notat Glossa in c. cap. Treugas verb. Frangere:: Abbas, Innocent. & alii Expositores communiter.

11 Autem, & quando, & quibus de causis inita pax, & treuga cum hostibus frangi possit, eisque bellum indici, vel non? Vide verb. Bellum per tot. ubi cuncta, quæ bellum concernunt, in quinque distinctis articulis fuse discutuntur.

(Indicere bellum, treugas signare, pacemque constitutere regio diademati inherere, per leg. 2. tit. 1. part. 2. declaratur; omnia, quæ ab Auctore explicantur, fere nostris decisionibus niuntur, præter ea verb. Bellum, insinuata, conducit hic adnotare quid nosra corpora legislativa super præsentis materia indicant; in primis recognoscatur tit. 12. p. 7. Quatuor leges amplectitur: in primis in c. leg. 1. de treugis seu securitatibus tractatur: quid sint, & quod discrimen inter treugam, & securitatem, proponitur: nam illa inter nobiles, dum duellum committunt, (De his actionibus tit. 3. §. 2. p. 7. vid. sup. verb. Duellum, pag. 128. col. 2. in add. nov.) locum habet, ista in ceteris vassallis: sed in utraque magna utilitas agnoscitur, nam quælibet offensio, quæ ad tempus præfixum non elabatur, amandatur: nihil est innovandum, suntque pactiones adimplenda; leg. 2. tres earum species designat, inter Reges facta primam sedem tenet, atque ab omnibus subdiis observari debet, illico ac in suam notitiam pervenerit: numerario secundo fœdus inter privatos convenit, si factio aut seditio inter eosdem oriatur: ultima equidem, dum unus alteri securitatem concedit, quæ ab omnibus utriusque familiaribus est custodienda, si discordia in ejus concessione (de duabus proximis loquitur) obvenit, à iudicibus ad eam sunt compellendi, atque eandem omnes inimicitiam habentes adimplere tenentur; (circa hanc materiam, ejusque intelligentiam, posteaquam leg. 6. vid. lit. M. pag. 10. col. 2. in nov. recognoveris, perlegere non omittas addition. hisp. lit. A pag. 26. lit. C pag. 156. lit. I pag. 153. lit. L pag. 269. & pag. 291. & verb. Vis, vers. Atamen:: conducunt que lit. A pag. 260. col. 2. & lit. E pag. 202. in nov. sunt præventa) Leg. 3. de pœnis agit in harum conventionum contravenientes; leg. 4. de pace loquitur, quid sit, & quibus modis fiat: finis discordiæ definitur. Leg. 1. tit. 9. lib. 8. Recop. Cast. mi videtur, à disposito in leg. 2. jam sup. citat. non discrepare, æqualiterque leg. 1. tit. 8. lib. 4. Ord. Reg. procedere.

Titulus 9. lib. 8. Auct. Acc. Recop. Cast. ne despicatur, utpote in eo recensentur pacis publicationes inter Regem Catholicum, Christianissimum, Anglicanum, Batavensemque Potentiam, ann. 1598, 1604. & 1648. atque etiam bellicum Anglicanis Dominis ann. 1739; methodus in primo Auct. Acc. easdem publicandi præscribit: fit mentio in Auct. Acc. 1. tit. 10. lib. 7. ejusd. Recop. de pace inter Britannos, & Batavenses anno 1667. cum nostro Catholico Principe inita: quæ omnia demonstrant quam naturale esse superioritatem in temporalibus non recognoscentibus, bella indicere, treugas pacis, pacemque firmare. Vid. lit. R pag. 124. in add. nov. Ad rem Auct. Acc. 22. ibi: Tratados de paz:: Num. 6. Remis. tit. 4. lib. 2. Recop. Cast. Titul. 8. lib. 8. Ord. Reg.)

TRIBUTUM.

Vid. verb. Gabella.

TRIDENTINI CONCILII DECRETA.

TRIDENTINI Concilii decreta enuntiantur, & impleri jubentur circa Jurisdictionem Episcoporum in omnes animarum curam gerentes, & in ecclesiis, quibus adnexa est hujusmodi cura. Benedictus XIV. t. 2. const. 1. incip. Quamvis: & consti. 33. incip. Inter multa: Item super electione dignioris inter approbatores ad animarum curam. Idem constituit. 4. incip. Reddite Nobis:

Item super jurisdictione Episcoporum in Regulares extra claustra degentes. Idem consti. 7. incip. Pontificia Commendatione: Item super Ordinationibus Regularium, & super abolitione privilegiorum recipiendi Ordines à quocumque vel extra-tempora. Idem const. 27. incip. Impositæ Nobis: Item de non recipiendis Regularium recursibus adversus professionis validitatem post elapsam à die professionis quinquentium; vel si reclamantes extra claustra degant, aut habitum dimiserint. Et de forma servanda in hujusmodi iudiciis. Idem consti. 47. incip. Si datam: Vide supra ad verb. Professio Regularis: Idem de Confessariis Extraordinariis bis, aut ter in anno exhibendis Religiosarum mulierum Communitatibus. Idem constituit. incip. Pastoralis curæ:

Item de abstinentia Clericorum à luxu, conviviis, choreis, aleis. Idem const. 45. incip. Inter cetera: 9 Item de coercentis iis, qui mulieres cogunt ad ingrediendam Religionem. Idem consti. 47. incip. Si datam: Item super facultatibus Episcoporum circa ea, 10 quæ observari debeant, aut evitari in celebratione missæ. Item consti. incip. Accepimus: Item super residentia Episcoporum, & super eorum absentia causis. Idem const. 18. incip. Ad universæ:

Item de non ordinandis sine causa Episcopis Titularibus, & de his, quæ hujusmodi Episcopis permittuntur. Idem consti. 36. incip. Cum à nobis: Item 13 de reservatione causarum criminalium iudicio Episcopi, seu Ordinarii, exclusis Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus. Idem consti. 40. incip. Causarum: *

TRISAGIUM.

TRISAGIUM, quo tres Personæ Divinæ laudantur his 1 verbis: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis, miserere nostri, è Cælo adductum est, cum puer è terra elevatus Constantinopoli, in cœlum raptus per unam horam descendit, postea illum recitans.

Cum enim Orbis pene universus ita horribili, & longo terræmotu quateretur anno 446. & in sola Constantinopolitana urbe subversa fuerint omnia magnificentiora ædificia, & quingentæ ac septem turres, ut ex Marcellino refert Bernius tom. 1. Histor. omnium heresum cas. 9. de gestis tempore Felicis III. afferens quæ scribit Nicephorus lib. 14. cap. 46. nempe "Theodosius imperabat, & tertæmotus magnus, & admirandus extitit, qui priores omnes magnitudine, celeritate, & temporis diuturnitate facile superavit, & non ex intervallo, sed motu continuo omnia concussit, idque per Orbem fere universum"; Hac de 3 causa, ne vivi sepellentur, antequam interirent, Imperator Theodosius cum suis Magnatibus, Procul Episcopus cum suo Clero, Civesque omnes extra Urbem se receperunt, & brachiis extensis ad cœlum versus, ut scribit Nicephorus l. c. "obstabantur Deum, ut propitiis eis esset, & ab imminenti calamitate Orbem

BIBLIOTECA CENTRAL

